17

(89)

ALEXANDER PP VI[s]

Dilecti filij salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis sinceritas fideique constantia quam ad nostrum et S. Ro. E. statum gerentis promeretur: ut petitionibus vestris quantum cum deo licet libenter annua
mus. Hinc est quod nos omnia et singula privilegia capitula ordinationes reformationes gratias Bullas brevia statuta et Indulta per Romanos Pontifices predecessores nostros et ab eis facultatem habentes
vobis et Comunitati vestre concessas et concessa, dummodo iusta et rationabilia sint et in preiudicium libertatis Ecclesiastice non cedat tenore presentium approbamus et apostolica auctoritate confirma
mus prout hactenus laudabiliter observata fuerunt: Preterea ut comoditati vestre circa solutionem Salis et subsidij consulamus, Mandamus Thesaurario provincie nostre patrimonij ut
pro solutione salis et subsidij predictorum monetas a vobis quas in dicta provincia solemniter sine agijs recipiat: Et insuper mandamus officialibus nostris in dicta provincia constitutis:
ut quotiens aliquas executiones in ista nostra Terra facturi sint, modeste se gerant: Item concedimus vobis quod Boves Aratorij pro represalijs capi non possint: quodque quando contingit
Vos ducere animalia vestra in Dohanam ultra medium temporis volumus quod in solvenda Dohana pro animalibus predictis consuetudo servetur: Et Dohanerij pro tempore existentes
nullo modo vos gravent: Postremo ut concessiones a Romanis Pontificibus vobis facte firme persistant: volumus quod quando Gubernator dicte provincie ad visitandum Terram
istam accedet non debeat, neque possit a vobis exigere pro sua visitatione ultra quinquaginta ducatos ad baiocchos septuaginta duos pro quolibet ducato iuxta concessiones predictas
vobis ut asseritis factas: Ultimo ut Terram istam nostram quam peculiari dilectione prosequimur, aliquo spirituali munere decoremus, concedimus vobis ut in dicta Terra nundinas
octo dierum quolibet anno usque ad biennium celebrare et indicere possitis ita quod ducentes seu vendentes aut ementes animalia tempore nundinarum huiusmodi exceptis animalibus
[illegible] ex dohana quae nisi Bullettam Dohanerij habent, penam fraudis incurrant aliquam gabellam pedagium aut Dohanerio dicte provincie solutione facere minime
teneantur, sed ipse nundine sint libere et ab omni solutione immunes et secure. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxv Septembris MCCCCLXXXXII
Pont[ificatus] nostri Anno Primo.

Jo. Laurentius

Dilectis filijs Prioribus [illegible]
[illegible] et Communi [illegible] Aquapendentis

1492

Alex.

ARCHIVIO STORICO ACQUAPENDENTE